



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Et summa humilitatis atq[ue] lenitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Et obedientia
tenax.*

*Et summa hu-
militatis, atq;
leuitatis.*

cabilis vigor: vt coniectare procliue sit quemad-
modum acceperit domesticum aduersarium va-
lidum, ac robustum, qui nec prostrato quidem,
& odiosa veteri Adam acciderent, egebat obedi-
entia fræno, perinde vt calcaribus in arridentibus
atq; blandis. Ad extremum vsq; habuit in ore, ni-
hil à Præsidibus vnquam ex propriæ inclinatione
voluntatis petendum. Id quod mirum ipse in mo-
dum seruabat. Quod si quando quid velut neces-
sitate adactus significaret, vtcunque caderet, ac-
quiescebat in eorum, ad quos res attinebat nutu,
nullo addito verbo, nullo erumpente indicio, vn-
de suspicari liceret, non esse in omnes partes con-
tentum. Perlucebant vbique recondita animo
Christianæ humilitatis, ac submissionis decora,
maximeq; in sermonis, ac vocis modo. Non mo-
do imperiosior nulla, aut iactantior vox elabeba-
tur vnquam ex ore illo sancto, sed identidem in-
firmæ personabant preces, quibus ab infimo quo-
que, si qua eos ratione offendisset, vt sibi ignosce-
rent, obsecrabat. Miserabatur intimo sensu, qui
suis malis aderant, socios; eosq; consolans aiebat,
Fratres, ferte patienter; præmium, ac mercedem
reddet

reddet pro me Christus Iesus: quare ignoscatis mihi: ego quoque frater vester sum, ac preces pro vobis quotidie facio. Quibus quidem illi precibus permultum confidebant: nec immerito iis adscribere ingentia sibi à Deo tributa dona, ac nominatim vt integra semper, ac summa alacritate haud parum longo tempore eius necessitatibus inferuient. Quanquam & facilitati, qua se planè velut infantem dulcissimum tractādum eis præbebat: & modestiæ, qua quicquid opus haberet, non imperabat, non comiter saltem petebat, sed per amorem Dei, velut emendicans rogabat, illa curantium iure imputetur, & perennitas, & magnitudo alacritatis. Accedebat & opinio sanctitatis. Vni eorum, quæ profus abdita in animo, & arcana habebat cum Pater patefecisset, existimauit is haud temere, nec alia eum fallere. Inde quoque visus est futura prænosse. Inchoarat septembris initio volumen Sanctorum vitas ex eo tempore ad finem anni complectens, partimq; per se lectitans, partim ex Anagnoste audiens, eo pergebat animo, vt pariter cum anno volumen euolueretur. Huius consilij gnarus Anagnostes transire vitas quasdam volebat, negans alioqui præstituto

*Patefacit animi
moris arcana.*

*Constantia in
bene captis
summa.*